

Ad perpetuam rei memoriam.

quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium Præpositorum, qui relatione Venerabilis Fratris Nostris Palatii Episcopi Prænephini ejusdem S.R.E. Cardinalis de Alteris nuncupati dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris sibi super præmissis factam, & dilectum filium modernum Procuratorem Generalem ejusdem Ordinis audiverunt, consilio, præsertim Statutum auctoritate Apostolica tenore presentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolica firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clause.

S.2. Decernentes easdem presentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

S.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Congregationis Hispanie, & Ordinis prætorum, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & consuetudinibus: privilegii quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

S.4. Volumus autem, ut earundem presentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis presentibus, si forent exhibitæ, vel ostense.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die VIII. Oct. MDCXCV. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

CXX.

Dat. 17. Oct. 1695. An. 5.

Extenditur Constitutio Innoc. XI. de erectione Confraternitatum Congregationis Doctrinæ Christianæ in Gallia.

Hæc Constitutio edita fuit 1688, Aug. 28, P. 12.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Josephus Bellifien. Procurator Generalis Congregationis Doctrinæ Christianæ in Gallia quod alias fel. rec. Innocentius PP. XI. prædecessor noster per quasdam suas in simili forma Brevis Literas die 28. Augusti 1688. expeditas, ut in singulis Civitatibus, Oppidis, seu locis ejusdem Gallie, in quibus dicta Congregatio Domos tunc habebat, seu de cætero habuisset, una Confraternitas Christianissimum utriusque sexus sub eadem denominatione Doctrinæ Christianæ de Ordinariis locorum respective licentia erigi, ac ipsius Confraternitatis sic erectæ Confratribus, & Confratribus pro tempore existentibus, quod omnibus, & singulis Indulgentiis, ac peccatorum remissionibus a rec. me. Paulo PP. V. pariter prædecessore Nostro Archiconfraternitati ipsius Doctrinæ Christianæ de Urbe concessis, uti, frui, potiri, & gaudere, libere, & licite respective possent, & valerent, sub certis modo, & forma tunc expressis auctoritate Apostolica concessit, & indulget, ac alias prout in præfatis Innocentii prædecessoris Literis, quarum tenorem presentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus uberius dicitur contineri.

Epilogus C6. stitutionis, qua concessa sunt facultas erigendi ad Confraternitates, ubi Congregatio domos haberet.

S.1. Cum autem, sicut eadem exposito subjungebat, saluberrima ejusmodi Confraternitatum Institutio, qua Christianus Populus ad Sacram Catechesim pro Catholica fidei rudimentis addiscendis evocatur in iis locis, seu Parochiis, in quibus Christianifideles, utpote rudiores majori indigent instructione suam sortiri nequeat effectum eo quia nimirum in illis Congregatio prædicta Domos non habet. Nobis propterea dictus Josephus Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Causa Extentio.

Precepto Procuratoris Gen.

S.2. Nos igitur pius ejusdem Josephi Procuratoris Generalis Votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis, Sententiis, Censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum consilio, & attenta relatione Ven. Fratris Archiepiscopi Avenionen. super præmissis ad eosdem Cardinales transmissa, Indultum a memorato Innocentio prædecessore, ut præfertur, concessum, etiam ad alia Gallie loca, in quibus dicta Congregatio, tamen Domos inibi non habeat, Missiones tamen ex speciali fundatione, seu dotatione de presenti exercet, ac servata in reliquis prædictarum Innocentii prædecessoris Literarum forma, & dispositione, eadem auctoritate tenore presentium extendimus, & ampliamus.

Extensio dicta Constitutio- nis ad loca, ubi Congregatio Missiones exercet.

S.3. Decernentes ipsas presentes Literas semper firmas validas, & efficaces existere, & fore,

Clause.

fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

S.4. Non obstantibus præmissis, ac Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de non concedendis Indulgentiis adinstar, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in prædictis Innocentii prædecessoris Literis concessa sunt non obstat, ceterisque contrariis quibuscumque.

S.5. Volumus autem, ut ipsarum presentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis presentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostense.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XVII. Octob. MDCXCV. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

CXXI.

Dat. 7. Dec. 1695. An. 5. Indicitur Universale Jubilæum pro pace inter Principes Christianos.

Simile Jubilæum indictum fuit Const. ed. 1693, Dec. 7, P. 3. Et Const. ed. 1699, Maii 30, P. 8. Indicitur Jubilæum Anni Sancti.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Universis Christianissimilibus presentes Literas in salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium a calamitosa Europæ statu petunt.

IN sublimi Sedis Apostolicæ fastigio meritis licet imparibus, ab æterno Pastore collocati, dum gravissimas crediti Nobis gregis calamitates paternæ charitatis studio contemplamur, ac totam fere Europam pertinacioribus in dies bellorum motibus agitatam attente consideramus, quod sub ipso incensus Pontificatus Nostri limine verebamur, auctuoso jam experimento cognoscimus, & quantum in Domino licet, ingemiscimus, venisse scilicet Nos in altitudinem maris, in quo ne tempestas demergat Nos, efficere sola potest Omnipotentis Dei dextera, cui mare, & venti obedire non detraçant. Quod proinde alias in dictis publice per Universum Christianum Orbem precibus a Patre misericordiarum supplicii, devotaque humilitate flagitavimus, ut Christianos Principes alienissimo Republicæ tempore inter se decertantes ad pristinam concordiam revocare, eorumque consilia, & vires ad Christiani nominis tutelam contra communem illum hostem sociare dignaretur, id nunc potissimum cum nefarius Turcarum Tyrannus diuturnis illorum discordiis illectus vires, atque animos sumit, ditionesque Christianas eladibus involvere meditatur, ferventiori cordis affectu faciendum censuimus. Licet enim pro Nostri pastoralis officii debito, memores illius Nos vices

gerere in terris, qui nascens ex Virgine per Cælicos Cives pacem hominibus bonæ voluntatis annuñciavit, & resurgens a mortuis, ac ascensus ad Cælum pacem itidem reliquit Discipulis, ut & ipsi ejus imitantes exemplum pacem aliis edicerent, labia nostra hæctenus non prohibuerimus, ac Catholicos Principes, ut in vocem sanguinis, qui effusus est tanquam aqua in circuitu Hierusalem ad eos de terra clamantem audirent, pluries monuerimus, pacem illis prædicantes, ac opportune, & importune etiam instantes, nec sane inter tot rerum, ac temporum difficultates animo deficientes, etiam in posterum pro eo, quo tenemur, publicæ quietis desiderio, tam salutare rei Christianæ opus omni animi contentione, studio, atque opera urgere, ac promovere firmiter proposuerimus, animamque Nostram, si ita res tulerit, pro ovibus curæ nostræ commissis Evangelici Pastoris exemplo ponere parati sumus; nihilominus, quia probe scimus nihil profecto esse, quod sibi humana sapientia, atque industria vindicare possit, nisi Cælestis gratiæ ope adjuvetur, ad eum, qui Dives est in misericordia, concordibus Christianissimorum precepcionibus impensius denuo confugere constituimus, sperantes, quod non concludet Dominus in gladio populum suum, nec hereditatem suam spernet, sed gentibus longo bello fessis dabit tandem illam, quam Mundus dare non potest, pacem, ne tamen exprobari Nobis audiamus Propheticum, percussisti eos, & non doluerunt, attrivisti eos, & renuerunt accipere disciplinam, lacrymis, jejuniis, elemosynis, aliisque piis operibus Divinam indignationem placare studeamus, ut clementissimus Dominus, & Deus noster, qui facit pacem in sublimibus, & Reges in thronis collocat, Orthodoxorum Principum animos sublati dissidiis, arcto, atque indissolubili charitatis vinculo conjungat, nostrisque labores, & curas, ac spem, quam in ejus ineffabili bonitate reponimus, optatæ demum cumulet lætitiæ tranquillitatis. Quæ, ut fructuosius, majorique Spiritus ardore peragantur, ex præfata Romanæ Ecclesiæ omnium Marris, & Magistræ more, Cælestium gratiarum Thesauros, quorum dispensationem fidei nostræ commisit Divina dignatio, in presentibus necessitatibus aperire, & larga manu erogare decrevimus.

Exhortatio ad pia opera.

Causa Jubilæi.

Judicium dicitur Jubilæi.

S.1. Itaque de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa ligandi, atque solvendi Potestate, quam Nobis Dominus, licet indignis, contulit, Universis, & singulis utriusque sexus Christianissimilibus in alma Urbe Nostra degentibus, qui solemnî processioni, quam feria quarta proxima hebdomadæ, quæ erit secunda Adventus (Reliqua vide Alex. VIII. Constit. ed. 1689, Dec. 11, P. 1.)

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die III. Decembris MDCXCV. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

CXXII.

Confirmatur Constitutio Inn. XI. circa confirmationem Decretum Card. Protectoris circa executionem alternativæ in Provincia Januæ: FF. Minorum de Observ. Reformatorum.

Dat. 7. Jan. 1695. An. 5.

De Choro, & Ecclesiasticis exercitationibus.

nostro Ordini optime affecto, omnem assistentiam, & favorem licet sperare. Primo, quod omnes, nemine excepto cuiuscumque gradus, & conditionis sint, choro, ac omnibus Ecclesiasticis exercitiis semper interesse teneantur, nec ab eis extra gravem necessitatem a Superioribus localibus agnoscendam, & approbandam alicui permittatur exemptio, nisi infirmis, ac impotentibus, qui a Superiore discrete, prout charitas, & necessitas exigi possint dispensari, sicut etiam, qui lectionibus, & concionibus non occupantur, itaut omnino servetur quid quid circa hoc Sac. Const. Urbanae praescribunt in Cap. 3. Regula Tit. 1. & quia magno animi nostri memorie orationis mentalis, ac examinis conscientie exercitium non fieri in aliquo Conventu certiores sumus, volumus, & praecipimus, ut quotidie post Matutinum, & Completorium in choro, ubi omnes etiam laici, nisi aliquando legitime fuerint impediti, praedicta exercitia orationis mentalis, ac examinis conscientie persolvantur ad formam Const. in Cap. 3. Regula Tit. 20. Secundo. Cum ex Novitiorum bona educatione optimi sperandi sint fructus, praecipimus Ministris Provincialibus, Guardianis, aliisque Superioribus, ne sub quovis pretextu audeant sub poena privationis officii, ac perpetuae inhabilitatis ad ipsa, & alia cuiuscumque generis ipso facto incurrenda proponere, promovere, aut eligere Magistros Novitiorum ad aliquod munus, seu officium, quod ipsos impedire possit a cura, & assiduo regimine suorum Novitiorum, nec etiam ad Guardianatum praecipue in Conventibus, ubi multi fratres morantur, ut ex Const. in Cap. 2. Regula Tit. 15. Utque Magistri Novitiorum convenienti pro suis laboribus non careant premio, statuimus, quod postquam per annos duodecim laudabiliter suum munus expleverint, si sint Fratres non graduati, & (ut vulgo dicitur) simplices, omnes alios Patres, & Fratres non Magistros in Sac. Theologia ubique praecedant, & ultra hoc vocem quoque activam habeant in electionibus Provincialium in Capitulis, sicut Magistri, ut ex Constitutione, ut supra, & vocentur discreti perpetui juxta Decreta Diffinitoris Generalis a Sancta Sede approbata; si vero dicti Magistri Novitiorum sint quoque Magistri in Sacra Theologia, & post annos duodecim per lauream Magistralem praedictum officium laudabiliter exercuerint Patres Provinciae, & Diffinitores perpetui cum omnibus privilegiis, quibus fruuntur alii Patres Provinciae, instituantur, ut ex Constitut. ut supra. Ipsique Magistri Novitiorum teneantur Ministrum Generalem quolibet semestri de suorum Novitiorum profectu, ac de iis, quae ad Novitiatum pertinent, certiores facere, ut ex Const. in Cap. 2. Regula Tit. 15, quod id observandum est de Magistris secundi Seminarii, seu Professorum, qui semper clausi sub cura alicujus Procuratoris adhuc deputati manere debent, ut Constitutiones praescribunt. Tertio. Ad tollendam quemlibet absum, & partialitatem, ac etiam ne Conventus, in quibus sunt Novitiatus nimis graventur praecipimus juxta Sac. Concilii Trid. Decreta, quod quilibet Novitius, sive ejus consanguinei aliquid conveniens juxta locorum consuetudinem ante Religionis ingressum Conventui, in quo annum probationis facere debet pro alimentis solvat, & ultra hoc

De Magistris Novitiorum, & Professori.

De Novitiis.

lectisternium, & omnia necessaria utensilia pro suo usu deferat, & casu, quod ob paupertatem, nec ipse, nec ejus consanguinei solvere possent, si esset talis indolis, & scientiae, ut magnum Religio habitura foret laturus honorem, vel Conventus nativus, vel tota Provincia, omnia solvant, quae omnia praecipunt in Const. in Cap. 2. Regula Tit. 13, nec aliter a Ministris Provincialibus, aut aliis Superioribus sub poena privationis officii admitti possit quisquam ad Novitiatum, & probationem. Nihil tamen aliud praeter supradicta possint Superiores petere, aut acceptare ut ex Const. ut supra. Quarto. Filiationes Conventuum, quae praecedere debent admissionem ad habitum, & probationem, ut ex Const. in Cap. 2. Regula Tit. 6, & aliis Pontificiis sanctionibus nullo modo fiant a Ministris Provincialibus, nec a Diffinitorio, sed solum a Patribus, & Filiis illius Conventus, cui acceptandus ad Religionem vult affiliari, itaut a Guardiano illius Conventus assignentur prius tres termini Canonici sex dierum, quorum ultimo elapso dentur secreta suffragia ab omnibus Patribus, & filiis ejusdem Conventus etiam laicis, dummodo sint omnes Professi, sicut ab eisdem Constit. ut supra praescribitur, & serventur omnes aliae conditiones ab eisdem Const. ut supra, & aliis Pontificiis sanctionibus praescriptae inter quas etiam est, quod nemo ad habitum, & probationem admittatur, nisi prius praecedat ejus legitima affiliatio alicui Conventui, & quilibet affiliatio aliter facta contra formam Constitutionum nullius roboris sit, & invalida, & Ministri Provinciales, seu alii Superiores, & Diffinitores qui auctoritatem ipsam debent assignandi usurparent in penam privationis suorum officiorum, & vocis activae, & passivae ipso facto incurrant, ad quam nisi a Sancta Sede possint reintegrari. Quinto. Filiationum Conventuum translationes ad alios Conventus, ut praecipunt Constitut. in Cap. 6. Regula Tit. 2, non admittantur, etsi convenientia, aut necessitas hoc exigeret non possit hoc fieri, nisi juxta Decretum Sac. Congregationis emanatum, obtenta scilicet prius licentia in scriptis a Ministro Generali, & servatis aliis de Jure servandis accedente scilicet consensu utriusque Conventus, & per secreta suffragia danda a Patribus, & filiis Conventus, ut supra, aliter translatio nulla sit, & invalida. Sexto. Circa Paternitates Conventuum nemo ad ipsas possit admitti, nisi juxta praescriptum sacrae Constit. ita quod omnes Sacrae Theologiae Magistri, statim, ac laurea sunt decorati, absque alia electione, eo ipso intelligantur, & sint Priores illius Conventus, cui sunt affiliati, aliorum autem Patrum, qui non sunt Magistri electio non ad Diffinitorium Provinciae, nec ad Ministrum Provinciale, sed solum ad Capitulum Conventus, ita quod Patres illius Conventus per secreta suffragia eligere debent eum, qui Paternitatis illius Conventus titulo frui cupit, ut praescribunt S. Const. in Cap. 6. Regula Tit. 2, & quamlibet electionem aliter facta irritam esse volumus, & invalidam, confirmatio vero electionis Patrum Conventus in Conventibus insignioribus ad Ministrum Generalem spectat, & in aliis vero Conventibus ad Ministrum Provinciale, ut ex Const. ut supra.

De Filiatione Novitiorum.

De translatione Filiationis.

De Paternitatibus Conventuum.

De Visitacione Ministris Provincialis.

Septimo. Cum aliquando diuturna Ministri Provincialis permanentia, occasione Visitacionis in

in Conventibus antea factis temporibus magnum intulerit ipsis gravamen pro alimentis, & aliis expensis, decernimus, & statuimus, quod Ministri Provinciales in Visitacionibus, ad quas quolibet anno tenentur, in ipsis permanere nequeant, nisi quando urgeat necessitas, & quando manent in aliquo Conventu visitando semper Choro, & Refectorio ad mensam communem interesse teneantur una cum aliis Fratribus, cui Ministro Provinciali, & ejus Assistentibus omni qua decet charitate, & urbanitate omnia necessaria suppeditentur pro alimentis dummodo tamen Choro, & Refectorio intersint, aliter Guardiani, & alii Officiales nihil sumministrare debeant, & expleta Visitacione, majore qua possibile est sollicitudine ab eo Conventu recedant, nec nisi semel in anno visitare possint, & insignioribus Conventibus, nequeant Provinciales manere, nisi per octo, vel decem ad summum dies, in aliis vero per quatuor, aut sex, si tamen aliqua gravissima causa, aut evidenti necessitate contingeret per majus tempus in eodem Conventu morari, Nos monitos faciant exponentes causam suae permanentiae cum fide jurata Guardiani, & Patrum illius Conventus a quo seclusa necessitate nihil post tempus praescriptum in hoc Decreto pro Visitacione liceat illis subministrare sub poenis arbitrio nostro reservatis. Quod idem observandum est in Visitacione Monialium, quas quolibet anno visitare tenentur, nec ad tempus, seu earum Monasteria nemo praeter Superiores occasione Visitacionum accedere audeat pro Hospitio, ne Monasteria earum nimis graventur. Octavo. Guardiani, & alii Superiores si ob aliquod crimen, praecipue ex illis expressis in Sac. Constit. in Cap. 8. Regula tit. primo privari debeant officio, hoc fiat iudice praevia formatione processus, ita quod nisi de veritate consulerit, & crimen sit aperte, & evidenter probatum, ad actum privationis non deveniatur, ut ex Constit. ut supra, aliter privatio nulla sit, & invalida, & Judices tales contra formam Constitutionum facientes a nobis puniuntur poenis nostro arbitrio reservatis. Nono. Nullus imposterum juxta fel. mem. B. Pii V. decretum possit plusquam per triennium in eodem Conventu munere fungi Guardianatus, ut etiam ex Constitut. in Cap. 8. Regula tit. 23, in poenam Ministris Provincialibus, qui eos proponerent, seu eligerent privationis officii, in aliis vero Constitutionibus potest quis, licet per triennium fuerit in uno Conventu Guardianus, eligi, si tamen aliquis fuerit per triennium in aliquo Conventu Guardianus, & post triennium electus fuerit in alio, potest iterum, si dignus sit ad eundem Conventum, ubi fuerit prius per triennium iterum eligi. Decimo. In unoquoque Conventu deputentur pro administratione bonorum temporalium Officiales juxta praescriptum Constitut. per quorum manus omnes proventus, pecuniae, & elemosinae transeant, nec sub quovis pretextu liceat Guardianis administrare sub poena privationis officii, ac utriusque vocis in perpetuum juxta praescriptum earundem Constitut. in Cap. 4. Regula tit. 2. Ipsique Officiales instituantur juxta praescriptum earundem Constitutionum, & servetur exacta forma erarii Conventus, in quo sub custodia trium clavium

De privatione Guardianorum.

De tempore Guardianatus.

De Officialibus Conventuum.

asserentur pecuniae, & elemosinae, tam Conventus, quam Fratrum particularium, ut praecipunt Constitutiones.

Undecimo. In recitatione Divini Officii serventur juxta ordinem S.R.E. omnes ritus, & consuetudines, nec liceat facere Officium alicujus Sancti, nisi juxta Ordinem Breviarii Romani praeter illa, quae a S. Sedis specialia gratia sunt concessa Religioni; Unde discrete praecipimus Superioribus omnibus, & Vicariis, seu Directoribus Chori, ne imposterum audeant recitare, nec recitari permittere nec publice, nec privatim officium Corporis Christi, aut Immaculae Conceptionis, aut alterius Sancti in Adventu, & Quadragesima, ac aliis temporibus, in quibus non est privilegium, & talem abusum volumus esse omnino tollendum cum semper teneamur esse obediens S.R.E. ut in Regula Seraphicus Pater praecipit dicens; *Sint semper Subditi, & Subjetti pedibus S.R.E.* Et quia ab eisdem S. Sedis liberalitate fuit auctoritate Apostolica noviter concessum nostrae Religioni Breviarium distinctum a Breviariis aliarum Religionum San. P. N. Francisci pro Fratribus, & Monialibus nostrae curae subiectis cujus usus adhuc non est in ista Provincia introductus, praecipimus Ministro Provinciali, ut statim unicuique Conventui providat expensis Conventuum de Breviario nostrae Religioni concessis, quod est impressum Venetiis, Typis Balleonii.

De Divino Officio.

Duodecimo. Quoniam scientia, & doctrina summo opere Sacri Ordinis honori conferunt, ut in hac quoque Provincia, quae olim plurimis abundabat viris egregiis in concionibus, & facultatibus Philosophicis, & Theologicis antiquus reviviscat splendor omnino praecipimus, quod in promotionibus lectorum in Studiis solo Dei, & beneficii publici honore inspecto, non amicitia, & dependentia, sed meritum respiciatur, & digni, & habiles eligantur, & si juvenes, seu Studentes juxta eorum capacitatem, & indolem collocentur in illis locis ubi valeant proficere, & sint bonae expectationis, etiam, renuentes compellantur ad exercitia Scholastica, & Ministri Provinciales, & Guardianorum erit etiam Clericos praecipue professos, & Studentes etiam Sacerdotes exercere, vel exerceri facere per sepe in Refectorio tempore Mensae communis in sermonibus coram Fratribus, ipsos advertendo circa defectus vocis, & gestus prout opus fuerit, ad hoc ut eis isto exercitio postea evadant progressu temporis boni concionatores. Et si aliquis Superior, seu Diffinitor, aut alio quovis titulo fruatur, postpositis dignioribus inhabiles promoverent ad lecturas, & studia, ipsos tanquam Religionis rebelles, & inimicos maledicentis, decernentes, quod facta promotione alicujus Lectoris ad nos mittatur notitia, & de ejus habilitate, scientia, nomine, merito, & gradu Minister Provincialis certiores nos, sua jurata fide faciat, ut promotione considerata, ipsam, si dignus fuerit confirmemus, si indignus reprobemus.

De Lectoribus, & Studentibus.

De relatione Religiosorum.

Decimotertio. Cum debeat, ut Sacrae Constit. praecipunt, mitti ab universis Provincialibus, & Superioribus earum Ministro Generali notitia omnium Religiosorum, eorumque Crimina per processus, & Sententias iudicata notificari, circa quod magnum in ista Provincia

co.

Hec Inn. XI Const. ed. fuit an. 1687, Jun. 12, P. 1., & hic refertur. Hujus Pontificis Const. ed. 1692, Maii 17, P. 1. agitur de alternativa in Provincia S. Nicolai. Et Const. ed. 1698, Oct. 7, P. 8. de alternativa in Prov. Januæ.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

EX commissi Nobis divinitus Pastoralis Officii debito illa, quæ a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris pro felici Christianissimum Divinis obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatorum statu conservando, illorumque tranquillitate firmiter stabilenda pie, provideque emanasse noscuntur, ut solidiori robore perennent Apostolici muniminis nostri presidio, cum id a Nobis petitur, libenter constabimus.

§. 1. Alias siquidem pro religiosa quiete Provincie Januæ. Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorem nuncupatorum ad supplicationem tunc existentis Ministri Provincialis Provincie hujusmodi emanarunt a fel. rec. Innocentio PP. XI. prædecessore nostro Literæ in simili forma Brevis tenoris, qui sequitur videlicet: INNOCENTIUS PP. XI. Ad futuram rei memoriam. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Antonius Maria a Finario Minister Provincialis Provincie Januæ. Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorem nuncupatorum, quod Venerabilis Frater noster Alderanus Episcopus Portuen., & S. R. E. Cardinalis Cybo nuncupat. Religiosæ tranquillitatis Fratrum dictæ Provincie consultum esse cupiens Alternativam circa electionem ad Provincialatum, ceteraque Diffinitorii Provincie hujusmodi Officia in tres partes sive Districtus, quibus Provincia ipsa constat dudum in Capitulo Provinciali ejusdem Provincie, ac per quendam fel. rec. Urbani Papæ VIII. prædecessoris nostri simili in forma Brevis Literas stabilitam, & ordinatam servari, nec quidquam in contrarium innovari, aut attentari sub diversis poenis præcepit, & mandavit per suum Decretum de super emanatum, tenoris, qui sequitur videlicet: Alderanus Episcopus S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Cybo Seraphici Ordinis S. Francisci apud Sanctam Sedem Protector, dilectis Nobis in Christo Fratribus modernis, & pro tempore existentibus Ministro Provinciali, Custodi, & Diffinitoribus, ceterisque omnibus Religiosis Reformatæ Provincie Januæ. Salutem &c. Cum alias in Capitulo Provinciali istius Reformatæ Provincie Januæ. de consensu vocalium, qui eidem Capitulo tunc interfuerunt decretum fuerit, quod in posterum ad conservandam ejusdem Provincie pacem, & tranquillitatem, ex tribus, quibus ipsa Provincia componitur Districtibus, qui sunt Civitas Januæ., Liguria Orientalis, & Liguria Occidentalis assumi deberet alternatim Minister Provincialis, itaut uno triennio esset ex uno, altero triennio ex altero dictorum Districtuum, & Decretum hujusmodi fuerit a san. me. Urbano VIII. per suas Literas Apostolicas in forma Brevis datas sub die 29. Martii 1643. approbatum, & confirmatum cum ulteriori etiam dispositione quod nempe Officinam Custodiat non caderet in eam partem, seu Districtum, in quo actu esset Minister Provincialis, &

Constitutio Inn. XI.

Decretum. Card. Protectoris pro executione alternative inter tres partes a Capitulo Provinciali, & Urbano VIII. constituta.

quod unicuique dictarum partium, seu Districtuum duo vota in Diffinitorio pariter alternatim assignarentur, prout in ipsis Literis Apostolicis latius continetur: Nos qui ex Decreti, & Brevis prædictorum observantia, optatam pacem, & tranquillitatem hæcenus Provinciam consecutam fuisse, & tandiu consecutam, quamdiu eadem observantia firma, & illæsa persistat, certiores sumus, & cupientes quantum ex Nobis est, eam in suo robore manantere, & conservare, auctoritate qua fungimur Protectoris vobis omnibus, & singulis in virtute S. Obedientie districte præcipimus, & mandamus, ne sub quovis prætextu, aut quæsito colore, directe, vel indirecte contra Decreti Capituli Provincialis, & Brevis Apostolici prædicti dispositionem, & tenorem, aliquid innovare, aut attentare præsumatis, non solum sub poena nullitatis omnium actorum, sed insuper sub poenis contra inobedientes contumaces, & rebelles in Statutis Ordinis præscriptis, alisque arbitrio nostro, & pro tempore existentis Protectoris infligendis, ad quas in casu contraventionis inviolabiliter procedemus. Non obstantibus &c. Romæ 24. Maji 1687. A. Cardinalis Cybo Protector. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat dictus Antonius Maria Minister Provincialis Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius Apostolica confirmationis nostre robore communiri plurimum desideret, Nos ipsius Antonii Mariæ Ministri Provincialis votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationibus, suspensionibus, & interdictis, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innotatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, ac supradictarum Urbani prædecessoris Literarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & inserto habentes, Decretum præinsertum a memorato Alderano Episcopo Cardinale, & Protectore editum, ut præfertur, cum omnibus, & singulis in eo contentis, & expressis auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & tacti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Confirmatum fuit relatam. Decretum.

§. 2. Decernentes easdem præsentibus Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respectu inviolabiliter observari. Sicut in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegates, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, iudicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Provincie, & Ordinis præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus,

Maii 16, P. 8. agitur de primatu inter Desultores, & Provinciales Titulares.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Præfati Ministri Provincialis

Confirmatio relatæ Constitutionis.

Clausula.

tudinibus, privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 12. Junii 1687. Pontificatus Nostri Anno Undecimo.

§. 4. Cum autem sicut dilectus filius modernus Minister Provincialis Provincie supradictæ Nobis nuper exponi fecit, ipse præmissa, quo firmius subsistat, & inviolabilis serventur, Apostolicæ confirmationis nostre robore communiri summopere desideret; Nos specialem, ipsi moderno Ministro Provinciali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationibus, suspensionibus, & interdictis, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innotatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, præinsertas Innocentii prædecessoris Literas, omniaque, & singula in eis contenta, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus illique inviolabilis & irrefragabilis Apostolicæ firmitatis robur, & efficaciam adjungimus, ipsasque Literas ab illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, inconcluse observari præcipimus, & mandamus.

§. 5. Decernentes pariter ipsas præsentibus Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: Sicut in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegates, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores iudicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in præinsertis Innocentii prædecessoris literis concessa sunt non obstat, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VII. Januarii MDCXCVI. Pontif. nostri Anno Quinto.

CXXIII.

Dat. 10. Jan. 1696. An. 5.

Confirmantur Decreta Generalis Fratrum Minorum Sancti Francisci Conventualium, & aliud Card. Protectoris pro Provincia Argentina.

Infra suis locis laudantur plures Constitutiones, & Capitula Constitutionum. Alex. VIII. Constitut. ed. 1690, Apr. 5, P. 1. extant quædam Decreta. Capituli Gen. Et hujus Pontificis Const. ed. 1699,

Nuper pro parte dilectorum filiorum Fratrum Provincie Argentinæ Ordinis Minorum Sancti Francisci Conventualium nuncupatorum Congregationi venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod alias videlicet an. 1692. a tunc existente Ministro Generali dicti Ordinis in visitatione per eum facta Provincie hujusmodi nonnulla Decreta, quæ ipse pro felici, prosperoque ejusdem Provincie regimine necessaria, & utilia judicaverat, edita, & successively in Capitulo Provinciali ipsius Provincie in Opido Civitate nuncupat. Lucernæ die 21. Novembris ejusdem anni celebrato publicata fuerant, tenoris, qui sequitur videlicet.

Insequentia Decreta confirmata fuerunt in Capitulo Provinciali, & proposita Cæ. Greg. Reg.

Inter plurimas nostri muneris causas, quibus animi nostri sollicitudo incumbere debet ea est præcipua, ut Regulæ, & Const. Ordinum quarum observantiam juravimus, Sanctissimæ Leges, quæ a Sacrosanctæ Romanæ Sedis auctoritate, divino assistente spiritu Apostolica sunt confirmatione munitæ per universas Seraphicæ nostre Religionis Provincias ab omnibus inviolabiliter observentur, & earum directione suavissimo Christi jugo cuncti sacri nostri Ordinis Religiosi Caput submittentis, vitæ Evangelicæ inhærentes, vestigiis Ecclesiasticæ disciplinæ, ac regularis observantiæ zelo ea quæ fas est humilitate, tanquam primogeniti S. Patris Francisci filii reddantur insignes. Hoc excitati motivo Provincie hujus Argentinæ, quam speciali cordis dilectione prosequimur visitationem aggressi non parentes laboribus, ac non pauca pro longitudine, ac asperitate itineris æquo, ac hilari animo incommoda, & pericula perpelli officii nostri debitum exigit, ut antiquam hujus ejusdem Provincie sanctitatem omni opere, & studio reviviscere curemus, ideo infra scripta Decreta eisdem sacris nostris Constitutionibus, & Pontificiis sanctionibus conformia statuentes, quorum exactam, & inviolabilem observantiam in virtute S. Spiritus, & ad sanctæ Obedientie meritum cunctis Prioribus, & Fratribus in hac Provincia commorantibus, seu commoraturis, sive Superiores, sive subditi sint, sub poena etiam Divinæ Indignationis præcipimus, eorum que transgressores ad tremendum Dei Tribunal rationem reddituros, citamus, earumdemque notitiam in publicis Ordinum superiorum libris in unoquoque Conventu fideliter transcribi, & servari, ac semel saltem in quolibet mense in publico refectiois loco coram omnibus legi volumus, & mandamus, omnesque nostre cure commissos Religiosos præcipue eos, qui sacri Ordinis zelo fulgent hortamur, ut occurrente ipsorum Decretorum, vel in superioribus, vel in subditis inobservantia certiores nos faciant, ac etiam ad Illustrissimum, & Reverendissimum D. Nuntium Apostolicum juxta temporis exigentias pro eorumdem pleno robore, & observantia recurrant, a quo velut Sanctæ Sedis dignissimo, & piissimo Ministro, & sacro etiam

Decreta prædicta.

De eorum executione.

cognovimus defectum, cum ex quo munus Ministri Generalis, licet indigne, sustinemus, nulla profus, nec Provincie, nec actionum, Fratrum, aut Monialium data fuerit notitia, quasi, quod in ista Provincia nulla esset subsecutio, nec communicatio cum Ministro Generali, firmiter statuimus, quod Superiores, tam Provinciales, quam locales omnium exemplaria Sententiarum mittat ad nos, & occurrente aliquo delicto, aut gravi scandalo de reo, & ejus punitione nos faciat certiores, decernentes omnibus Fratris licere ad nos, juxta opportunitates recurrere, ita tamen, quod Provincialibus, aliisque Superioribus non pretermittant debita reverentia, & obedientia, ita ut recursus sit juxta prescriptum Constitutionum.

Decimoquarto. Cum maximi sit momenti cura Monialium, & infinita oriri possint pericula ex negligentia Superiorum in illarum regimine, pluribusque eorum Monasterii hanc Provincia abundet; Provincialibus, Ministris, & aliis ad quos spectat precipimus, & mandamus, ut in earum Confessariorum deputatione solum Deum pre oculis habeant, virosque expertos optimis moribus ornatos, prudentes, etatis maturae, & perfectos eligant, qui salutem animarum earumdem incumbentes; tanquam Dei Sponsas electas eas excitent ad Cultus Divinos, & suae Regulae, & Constitutionum observantiam. Praecipimus etiam Ministris Provincialibus, aliisque Superioribus sub pena privationis officii, ac perpetuae inhabilitatis ad ipsa & alia obtinenda, ne ipsi, seu alicui ipsarum concedant licentias pernoctandi extra Monasterium, licet votum clausurae non habeant, ita quod aliqua inevitabili exigente necessitate, si exeundi e Monasterio contingat prebere benedictionem, & licentiam, ea semper sit limitata, & cum onere redeundi statim ad Monasterium ante noctem, & ipsi assignetur altera Monialis in Sociam, quae sit matura, & inter omnes prudens, & casu, quo urgeret necessitas ipsarum aliquas dimittendi ad quaestuandum, seu emendandum, quod tamen quantum est possibile est impediendum, nulla possit mitti, quae quadraginta etatis annum non expleverit. Et ad quamlibet evitandam occasionem ipsis Provincialibus prohibemus, ne ad habitum, & Religionem, seu Monasterium admittant in posterum, nisi tot Moniales, quo potest alere idem Monasterium, & earum sint conditionis, quas Sacri Canones praescribunt, & suam dotem, vel sufficientiam portent ad Monasterium pro earum alimento, & sustentatione, qua methodo omnis cessabit ipsis Mendicandi necessitas, & consequenter vagandi. Eisdem etiam Superioribus jubentes, ut debita, qua fas est dexteritate, & prudentia in quantum potest fieri, ad clausuram reducere, & allicere adhibitum mediis illis, quae juxta temporum, & locorum opportunitates, eis in Domino videbitur, curent; Ipsaque Monialibus fiat notum, quod sub poenis arbitrio Superiorum reservatis, etiam Carceris, saltem per quoslibet quinquedecim dies teneantur confiteri, & Sacrosancti Synaxi, eadem die audiendo etiam Sermonem exhortatorium, quem Confessarii eorum volumus ipsis habere. Abbatisse autem, seu Superiorissae, seu Ministrae, aut Magistrae

nequeant facere expensas nec vendere, nec emere, sine assensu Monialium suorum Monasteriorum per secreta suffragia habendo, & tandem inter semetipsas Moniales omnes exercent mutua charitatem, concordiam, & pacem, Deo sancte, & perfecte serviendo ab eo aeternam caelestis praemii mercedem habituras. Eisdemque earundem Monialium Abbatissae, Magistrae, Ministris, seu Superiorissis praecipimus pariter, ut loca, quae vulgo vocantur Parlatoria sint bene custodita, nec ante solis ortum, nec post solis occasum, nec tempore intermedio inter prandium, & Vesperas aperiantur, sed maneant clausa, quod quoque praecipimus earum Confessariis, ut hujus Decreti observantiae omni studio incumbant, nec in eodem loco deputato pro Parlatoriis liceat sub quovis pretextu nec bibere, nec manducare.

Decimoquinto. Omnibus denique Religiosis nostrae cura subjectis iterum Sacrarum Constitutionum Ordinis, & aliarum Sanctionum Sanctae, & Apostolicae Sedis observantiam praecipimus, eosque enixe in Domino rogamus, ut in pace, & concordia Divino incumbant servitio, seculo sint exemplares, Religioni proficui, S.P. Francisci grati, pro S.R.E. & Fidei Catholicae incremento; Beatiss. Summi Pontificis Innocentii felicis conservatione, inter Principes Christianos pace, & concordia, armorum Christianorum felicitate, contra Infideles victoria, totius Sac. Collegii Apostolici, & praecipue Emorum, & Rmorum Dñorum S.R.E. Cardinalium Ghisii Ordinis Protectoris, & de Laurea ejusdem Ordinis splendoris, & Meccenatis, omniumque S.R.E. Prelatorum, & praecipue Illustriss. & Reverendis. Dom. Nuntii Apostolici salute, & felicitate, ac etiam pro me indigno Sacrae Religionis Ministro Generali devotas Deo preces offerant, in cujus nomine omnes totius cordis visceribus, & sincera dilectione, & amore benedicimus. In fide &c. Datum in nostro Conventu Lucernensi die, & anno supradictis - Fr. Joseph Maria Minister Gen. = Fr. Julius Forelli de Venetiis Secret., & Alistens Ord.

§.1. Subinde vero Venerabilis Frater Marcellus Archiepiscopus Athenarum tunc temporis noster, ac Sedis Apostolicae in Domino Helvetiorum & Rhaetheorum Nuncius pro Decretorum hujusmodi executione, & observantia suam ediderat Decretum, tenoris sequentis videlicet: Marcellus de Arte, & Apostolicae Sedis gratia Episcopus Athenarum, & S. S. N. Dñi Nostri Innocentii Divina Providentia PP. XII. ejusdemque Sanctae Sedis ad Helvetios, & Rhaethos, eorumque Subditos, & confederatos, necnon ad Constantien., Basilien., Curien., Sedunen., & Lausanen. Civitates, & Dioeceses cum facultate Legati de Latete Nuncius &c. Cum Rm. Pr. Magister Josephus Maria Bottari de Venetiis Minister Generalis totius Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci in Visitatione Provinciae Argentinae, & in Capitulo Provinciali Lucernae celebrato retroscripta Decreta, Ordinationes, & Constitutiones fecerit, quae cum nos etiam conformes Sac. Can., & Seraphici Ordinis S. Franc. Constitutionum, invenerimus, adeo ut omnes, & singula ab omnibus ad quos spectat, & in futurum pro tempore expectabit, inviolabiliter volumus, ut

De Monialibus earumque Confessariis

De executione Constitutionum, & quibusdam praecipuis

Eadem Decreta confirmata fuerunt a Cong. Episcop. & Reg.

Prætes FF. Provincias.

Confirmatio rejarari Decretorum.

Clausula.

Decretum Nuncii Apostolici executione rejararum Decretorum.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XX. Januarii MDCXCVI. Pontificat. Nost. An. Quinto.

CXXIV.

Confirmantur Decreta Prioris Generalis Ordinis Carmelitarum pro Provincia Portugalliae.

Dat. 11. Febr. 1696. An. 5.

Laudantur hic nonnullae Constitutiones. Hujus Pontificis Const. ed. 1692, Octob. 11, P. 2. extant Decreta circa studia, & Clem. XI Const. 1707, Aug. 31, P. 7. agitur de hujus Provinciae Religiosis Musicis.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram vel memoriam.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Joannes Feixoo de Villalobos Prior Generalis Ordinis Fratrum Beate Mariae de Monte Carmelo, quod ipse in Visitatione, quam alias fecit Provinciae Portugalliae dicti Ordinis pro conferenda, & augenda in Provincia hujusmodi regulari observantia, de consensu totius Diffinitorii ejusdem Provinciae nonnulla Decreta edidit tenoris, qui sequitur videlicet:

Insequentia Decreta condita fuerunt in Congregatione Provinciae

§.1. Fr. Joannes Feixoo de Villalobos Sacrae Theologiae Magister, ac humilis Prior Generalis, & Visitator Apostolicus totius Ordinis Fratrum B. Mariae Virginis de Monte Carmelo Antiquae Observantiae Regularis.

Decreta per dictum

§.2. Cum ad majorem nostri Ordinis conservationem, & propagationem, bene, sapienterque a majoribus Nostri sanctum sit, quod in singulis Provinciis fiant quolibet anno Congregationes Diffinitoriae, quarum ea praecipua cura sit omnes abusus injuria temporum irrepentes, vel eliminare, vel impedire, etiam opportuno novarum Ordinationum remedio: Hinc in Congregatione Provinciae nostrae Lusitaniae a die quinta, usque ad diem nonam Junii Nobis Praesidentibus hoc anno 1694. celebrata, communi omnium sollicitudine, zelo, ac voto pro bono spirituali, ac temporali praefatae Provinciae Decreta sequentia condita fuerunt.

Primum. Nullus ad Sacrum nostri Instituti habitum, multoque minus ad Professionem in Vicariis Brasiliens., Maragnonen., & Floridae Januarii, nomine Rivus Provinciae admitti possit, nisi praevio consensu Provincialis, & totius Diffinitorii ejusdem Provinciae. Alias numquam ejusdem Provinciae, sed illius Vicariae Alumnus dicatur, & sit, in qua Professionem emiserit.

De receptione ad habitum, & Professionem.

Secundum. Quatuor tantum Novitii pro quolibet anno, & pro tota Provincia in posterum admittantur regulariter, ac insuper extraordinarie unus etiam pro quolibet scenario numero Religiosorum in dicto anno ex hac vice decedentium; & hoc sub poena privationis ab Officio, tam Provincialis, quam Prioris, & Claviculariorum, si quemlibet alium ultra praescriptum numerum admittent. Si tamen dicto numero completo aliquis ex Regni Magnatibus, aut primarius Nobilibus, alias idoneus habitum Nostri efflagitaverit, tunc Provincialis recurrere possit ad Reverendissimum totius Ordinis

De Novitiatu, Novitiis, & Professionibus.

Generalis pro dispensatione obtinenda. Pro Domo Novitatus designantur Conventus Ulyssiponen., & vulgo dictus Cogliares, a quibus Novitium numquam removeri possint, neque post emissam professionem, nisi previo examine approbati pro Scholasticis studiis, illico ad Collegia dirigantur. Porro nemo deinceps ad habitum nostrum admittatur, nisi a Vocalibus Coenobiorum fuerit per secreta suffragia approbatus, postquam per authentica documenta, vel opportunas informationes, aut alias praefatis vocalibus legitime confiterit de recipiendorum legitimis Natalibus, moribus, qualitatibus, aliisque requisitis a Sacro Concilio Tridentino, Constitutionibus Apostolicis, ac Ordinis, necnon Ordinationibus Reverendissimi Procuratoris Generalis a Sanctissimo Domino Nostro per Literas in forma Brevis confirmatis sub die undecima Octobris anni 1693. Nemo similiter ad professionem admittatur, nisi praeter alia de jure, sive communi, sive nostri Ordinis proprio, & municipali requisita, post diligens examen circa regulam, Constitutiones, Ceremonias nostras, & Cantum Gregorianum approbatus fuerit ab Examinatoribus ad hunc effectum a Provinciali pro tempore deputandis, super quo eorum conscientiam oneratam esse volumus. Qui vero contrafecerint, praeter poenas a supradictis Constitutionibus statutas, aliis etiam arbitrio Generalis subjaceant.

De abdicatio- ne Novitiorum

Tertium. Sacri Concilii Tridentini dispositio in Cap. 16. Sess. 25. de Regularibus, circa Novitiorum renunciaciones, aut obligationes, omnino intemerata servetur: ac proinde antea tempus ibidem statutum, ac multo minus ante habitus susceptionem, nulla pactio super his, nulla conventio, vel expressa, vel tacita a nostra Provincia Superioribus fiat, vel ab aliis facta toleretur, non obstantibus quibuscumque deprecationibus, ac importunis commendationibus, ut ita quavis simoniace labis species evitetur, ac in retanti momenti qualis est Novitiorum receptio, nulla turpi lucri spes, aut temporalis utilitatis ratio ad minus dignorum admissionem Praelatos alliciat.

De bonis Pro- fectuum

Quartum. Si ex persona alicujus nostrae Provinciae Professi aliqua bona, vel hereditario, vel alio quocumque jure contingat nostrae Religioni acquiri, ea primo in extinctionem communium totius Provinciae debitorum convertantur, & quod supererit pauperioribus Conventibus a Provinciali de consilio Diffinitorii applicetur, ea lege, ut ejusdem Conventus Prior, & Clavarii debeant praedicta omnia emolumenta in bonis stabilibus fructiferis, vel annuis aliis redditibus securis collocare, vel si ob aliquam necessariam causam servatis servandis distrahenda sint, teneantur quamprimum licuerit tantundem repone, ac eodem modo investire.

De Spoliis Religiosorum

Quintum. Religiosorum ex hac vita decedentium spolia, nempe vestes, ac libri, & caetera, quorum usum, dum viverent a suis Praelatis obtinebant ad formam Sacri Concilii Tridentini Sess. 25. Cap. 2. de Regularibus, & Decretorum san. mem. Clementis VIII. de reformatione, nostrarumque Constitutionum, vel pro communibus Provinciae necessitatibus, vel ad utilitatem ejus Conventus, cui Defunctus fuerit affiliatus, applicentur juxta nostrarum Constitutionum praescriptum. Provinciales vero pro

tempore existentes, quaecumque ratione spolia recipiant, atque distribuunt, fideliter, ac diligenter adnotari curent in Libro ad hunc finem specialiter designato, ac de omnibus sive datis, sive acceptis rationem reddant suis Diffinitoribus in Libro praefato distincte referendam, ac ab eorum respective successoribus recognoscendam, & propria subscriptione firmandam.

De Prioribus Subprioribus, & Concionatoribus

Sextum. Nullus in posterum ad Prioratus, aut Subprioratus Officium promoveri, vel Concionator extra septa Monasterii per Literas patentes constitui valeat, qui ad audiendas saecularium Confessiones non fuerit ab Ordinario Locum approbatus. Quod si ex praesentibus Prioribus, vel Subprioribus, aliquis sit non approbatus, eandem approbationem unius mensis termino consequi debeat sub poena privationis Officiorum respective, quatenus pro ipsum steterit, quominus eam consequatur.

De Praesentibus ex gratia, vel iustitia

Septimum. Praesentati de gratia, qui ab anno 1670. citra, juxta dispositionem Rmi Orlandi in hac Provincia admittuntur cum voce, & loco in Capitulis Provincialibus, sicut in posterum de iustitia cum omnibus gratiis, praeminentiis, & praerogativis, alias regularem observantiam non ledentibus, quibus dicti Praesentati de iustitia in Ordine nostro, ac praecipue in hac Provincia fruuntur, & gaudent. Item, ii, qui Lecturam de oppositione tenentes Textum super quatuor Evangelia forte ipsis contingentem termino viginti quatuor horarum explicaverint, ac secundum sensum Sacrae Scripturae exposuerint, & praevia Examinatorum approbatione patentes Concionatoris Literas obtulerint, ac ejusmodi munus per duodecim annos laudabiliter exercuerint in Ecclesiis Mourae, Setuball, Eborae, & Ulyssiponen., & in quolibet ex his duabus postremo loco nominatis per triennium saltem in supradictos duodecim annos utique computandum, & praedicta omnia requisita sufficienter justificaverint, si a Provinciae exoptulabuntur, inter praesentatos de iustitia adscribantur cum omnibus praerogativis, de quibus supra. Quoad Concionatores tamen actu existentes, & etate provectos, possit Provincialis una cum suis Examinatoribus abbreviare praedictum tempus duodecim annorum, (dummodo non intra quadriennium) eosque ad gradum Praesentati de iustitia promoveri, qui post obtentam Lecturam de oppositione juxta superius dicta fuerint ad Concionatoris munus iterum approbati, illudque laudabiliter exercuerint saltem per quadriennium, habita ratione etatis, studiorum, & ante actorum laborum, prout in Domino judicaverit.

De Confessione Monialium

Octavum. Ad nostrarum Monialium confessiones audiendas non deputentur, nisi Religiosi etate provecti annorum ad minus quadraginta, bonis moribus, ac exemplaris, laudabilisque famae testimonio commendati, & concionandi pariter, ut illas opportuna, gratuitaque verbi Dei praedicatione, aliisque spiritualibus exercitiis ad pietatem erudire, ac in via perfectionis dirigere valeant. Mane, & Vespere in Ecclesia exteriori, & cum eisdem in Ecclesia interiori congregatis Orationem Mentalem indispensabiliter frequentent: praeter dies a Constitutionibus expresse designatos, quolibet etiam die Dominico, & quodcumque opus fuerit Sanctissima Poenitentiae, & Eucharistiae Sacramenta peten-

petentibus administrant: Regulam, & Constitutiones apprimè calleant, earumque mensuram in publica Mensa lectionem, & quod caput est, exactam in omnibus observantiam, summo studio procurent. Provinciales vero in cujuscumque Monasterii visitatione super praemissis diligenter inquirent, ipsasque Moniales in scrutinio examinent: si quem culpabilem repererint punire, ac etiam pro modo culpae remove tepeantur. Porro nostri Collegii Conimbricensis Rector pro tempore Monialibus itidem nostris de Tentugal, & Prior Conventus vulgo de Deija Monialibus ibidem existentibus, ac tandem Prior Conventus Algarbiorum Monialibus vulgo de Lagos Confessarios extraordinarios supradictis qualitatibus praeditos deputent quater in anno, quolibet scilicet triennio, qui consueta quoque nostri Ordinis beneficia eisdem conferre valeant.

De Cappis

Nonum. Sub nullo praetextu deferri possint in publicis Communitatis actibus, multoque minus in Ecclesia Togae vulgo Capotes, seu Gavanes, quarum loco dumtaxat permittuntur in hyme contra frigoris rigorem Cappae albae ex panno etiam sine Caputo confectae.

De Choro

Decimum. Choristae post inceptum Officium Chorum ingredientes, deosculata terra, permaneat genuflexi usque ad nutum Superioris, quo habito, & deosculata iterum terra, ad suum locum pergant, idem toties praestando, quoties ob aliquam legitimam causam, ac de Superioris licentia eisdem e Choro exire contigerit. Sacerdotes vero post debitam Sanctissimo Eucharistiae Sacramento genuflexionem, ac Superioris, & Communitati reverentiam, genuflexi terram digito deosculantur, ac post brevem Orationem, ad suum locum se conferant, a Choro nunquam recessuri cujuscumque gradus, aut conditionis praetextu absque necessitate oretenus, & non per nutum Superiori communicata, & obtenta ab eodem licentia solitam Altari genuflexionem, & Communitati reverentiam praestabunt.

De ordine in- ter Religio- sos

Undecimum. In Processionibus aliisque Communitatis actibus quibuscumque Choristae praecedant Novitios, Novitii Laicos, caeterique Religiosi locum singulis convenientem retineant ad formam nostrarum Constitutionum, non obstante quacumque tolerantia, sive contraria consuetudine, quam tanquam abusum reprobanus.

De executione Regulae, & Constitutionum

Duodecimum. Regula Beati Alberti qualibet hebdomada; Constitutionum vero pars prima, & tertia quolibet mense perlegantur. Harum observantiam omnibus enixe injungimus, non solum quoad Orationem Mentalem mane, & vespere faciendam, aliaque magis substantialia ad interiorem Animae culturam pertinentia, sed etiam quoad habitus internos, & externos, Cappas, Capputia, Coronas Capitis, & calceamenta, ne quid contra mores, & Constitutiones nostras innovetur, sub poena privationis vocis activae, & passivae.

De Archivis

Decimumtertium. Erigatur in aliqua convenienti Cellula conventus Ulyssiponen. Archivium, ad cuius custodiam deputetur Religiosus peritus, qui illud ordinet, Protocolla, Instrumenta, jura, legata, Census, privilegia, caeteraque Scripturas uniendo, & registrando: idemque proportionabiliter servetur quoad Archi-

vium Provinciae in eodem Conventu Ulyssiponenensi constituendum.

De Procuratoribus Coenobiorum

Decimoquarto. Religiosi ad subsistentiam Villarum, Vinearum, & Camporum deputati, nullomodo audeant sive per se immediate, sive per alios emere nomine proprio Vineas, Possessiones, Domos, Oleum, triticum, aut alia ejusmodi sub poenis contra Clericos negotiatores, & Religiosos proprietarios a Sacris Canonibus constitutis; quinimo ne quidem nomine Conventus quidquam, vel contrahere, vel distrahere praesumant sine expresso Prioris, & Clavariorum consensu, quibus etiam quolibet trimestri exactam de omnibus rationem reddere teneantur; si quis contra praedicta, vel omitendo, vel committendo peccare compertus fuerit, illico privetur omni administratione, aliisque pro modo culpa a Sacris Canonibus, nostrisque Constitutionibus, Statutis poenis mulsetur, & quatenus in aliquo fraudaverit, carceri mancipetur, & ad refectionem compellatur.

De Prioribus & Clavariis

Decimumquintum. Priores, & Clavarii pro tempore, habitis calculis cum Commissariis, seu Deputatis ad recipiendos redditus Regiae Camerae provenientes ex vini introductione, authenticam referant attestationem de ab eis introductis, & solutis tempore sui Regimini, eandemque tradant novis Prioribus, & Clavariis, qui consimilem suis successoribus exhibere teneantur, & ita deinceps in perpetuum sub poena privationis vocis activae, & passivae, ac inhabilitatis perpetuae ad officia. Vinum quodcumque, & undecumque proveniens in Cellam Vinariam non introducat, nisi de consensu, & in praesentia Clavariorum, qui quantitatem, & exitum, sive consummationem introduci distinte fideliterque adnotare teneantur in Libro ad hoc specialiter deputato, ita quod utilitas omnis ex vino proveniens cedat in favorem ipsiusmet Conventus, non autem Priorum sub poena proprietariorum; super quibus Provinciales pro tempore invigilent, & in Visitatione rationem de omnibus exigant. Porro ad Priorum charitatem, & prudentiam pertinebit temporibus Adventus, & Quadragesimae vinum perfectius Communitati distribuere, ut jejuniatum necessitati opportune consulatur.

De Sociis Priorum

Decimumsextum. Ad plura, & maximi sane momenti incommoda vitanda, nullus in posterum admitti possit ad suffragium ferendum in Electionibus Sociorum Priorum ad Capitulum Provinciale iturorum, qui duodecimum professionis annum non compleverit sub poena nullitatis electionis, quibuscumque contrariis non obstantibus. Excipiuntur Sacrae Theologiae Lectores, ac Conventuum subpriores, de quorum prudentia, zelo, ac pietate confisi, volumus, quod etiam praedictum tempus non expleverint, suffragium tamen ferre possint; sicuti etiam quoad alias electiones, caeteraque Communitatis determinationes nihil intendimus innovare.

De Collegiis, Lectoribus, & Studentibus

Decimumseptimum. Designantur pro studiis speculativis Philosophiae, ac Theologiae Collegium Conimbricense; necnon Collegia Eboracae, Mourae, & Ulyssiponen., pro studiis Theologiae moralis methodice a Lectoribus quotidie legendae, quorum unus Sacrae Scripturae, Patrumque sensus explicare teneatur, ac per omnia